





DE
1789, 7
~~2019~~
16
TUTORUM AD PRAESTANDAS
VSURARUM VSURAS HABENDAS
OBLIGATIO
COMMENTATIO

QUAM
CONSENTIENTE
ILLUSTRI JURISCONSULTORUM ORDINE

AD
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
DIE XXX. APRILIS MDCCLXXXIX.

RITE CAPESSENDOS
ERUDITORUM DISQUISITIONI
OFFERT

CONRAD. JULIUS HIERONIMUS
TUCKERMANN.
HANNOVERANUS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

IN
TITORE AD PRÆSTANDAS
LITTERARUM PRAEFATIONES

OLIVIA
COMMITTITIO

COMMITTITIO
LITTERARUM PRAEFATIONES

AD
SVMOS IN TROPHÆE HONORES
DIE MEXICANA
S. A. 1774
D. B. 1774

COMMITTITIO
LITTERARUM PRAEFATIONES

COMMITTITIO
LITTERARUM PRAEFATIONES



GRATIA
VIRIS

ILLVSTRIBVS ATQVE DOCTISSIMIS

JVSTO FRIDERICO RVNDE

JVRIVM DOCTORI, CONSILIAR. REG. AVLIC. PROFESSORI ORDINARIO,
FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSORI ET ACADEMIAE
H. T. PRORECTORI MAGNIFICO

MVNERE AVCTORITATE INSIGNI

PRAECEPTORI SVO SVMME VENERANDO

NEC NON
S. A. WENDEBORN

JVRIS VTRIVSQVE DOCTORI

DOCTRINA AC MERITIS CELEBERRIMO,

AVVNCVLO OPTIMO

PATRONIS AC FAVORIBVS

IN AETERNVM COLENDIS



GRATO AC PIO ANIMO

EA QVA DECET REVERENTIA

DISSERTATIONEM SVAM INAVGVRALEM

INSCRIBEBAT

ET SACRAM ESSE JVBEBAT

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR



Conspectus.

Prooemium.

Sect. I.

De usurarum natura ac indole in genere.

I. Usurarum significatus. §. 1.

II. Usurarum fundamentum §. 2.

III. Legitima usurarum quantitas §. 3.

VI. Legum dispositiones circa usurarum exactionem §. 4. Et quidem

1) ratione durationis §. 5.

2) ratione extensionis §. 6. quibus adjectae sunt:

Dissentientium circa hanc doctrinam limitationes, earumque
refutatio §. 7-11.

Sect. II.

De tutore ad praestandas usurarum usuras haud obligato. Praemissis quibusdam

A) De usurarum quantitate a tutore praestanda § 11. &

B) De ordine dicendorum de proposita quaestione §. 12. exponuntur:

I. Rationes decidendi, fundatae

1) in ipsa rei natura §. 13-15.

2) in legibus positivis §. 16.

II. Rationes dubitandi §. 17; earumque refutatio §. 18-22.

PROOE.



PROOEMIUM.

Eruditorem certe nullus est, quem fugiat, mutuum ad illa inter cives frequentissima vel quotidiana negotia pertinere, ac doctrinam de usuris, cum mutuo arctissimo vinculo junctam, haud paucis adhuc dubiis subiectam, ideoque multarum controversiarum matrem habendam esse. Quum enim usurarum causae legibus nostris non ubique plene perfecteque definitae sint, fieri non potest, quin non saepius dubia occurrant, quarum causa in decidendis litibus diu cunctetur. Quamvis etiam innumeri auctores in doctrina de usuris pecuniae mutuatitiae desudaverint; satis tamen constat, plura hujusce argumenti capita superesse, quae paullo majori illustratione & juris certitudine indigeant, sive de usurarum pecuniae mutuatitiae fundamento justitiaeque, sive de controversiis singularibus hic obvientibus sermo sit. In primis in decidenda quaestione, an tutor ex debito suo ad usurarum usuras

A

obliga-

obligatus sit, nec ne? exarsit *Sureconsultorum disputatio*. Alii enim, tutorem ad usurarum usuras ex debito suo omnino obligatum esse, contendunt a), alii negant b). Quae quum ita sint, meditati mihi, quale pro summis in utroque jure adipiscendis honoribus ederem doctrinae specimen, a re non alienum visum est, quaedam de pecuniae mutuatitiae usuris differere. Versabitur igitur opera mea in prima sectione in ipsarum natura ac indole; in secunda vero in enumerandis veris ac putativis ratiocinibus, cur tutor ad usurarum usuras ex debito suo non teneatur.)

- a) In quibus praesertim eminent: BERLICH p. 2. decis. 268. nr. 14. LÜD. MENCKE in *Diss. de tutore & curatore ad usuras ex suo debito usurarum obligato*. MEVIUS cent. 1. decis. 73, MEVIUS ad *jus Lubec. Lib. 1. tit. 7. art. 7. nr. 22.*
- b) Inter quos summo jure memorandi sunt: G. A. STRUVIUS in *Syn-tagm. j. c. exerc. 27. §. 51.* FRANZKIUS in *resolut. Lib. 2. ref. 10. nr. 30. seq.* SANDIUS in *Decis. Fris. Lib. 3. tit. 14. def. 6.* CARPZ. in *Frprud. for. p. 2. c. 30. def. 12.* MOLINAEUS in *tract. de usuris qu. 77. nr. 601. seq.* Quorum etiam sententiam tanquam aequiorem adprobavit BRUNNEMANNUS in *Comment. ad Codic. ad L. ult. de usuris, & in Comment. ad Dig. ad L. 7. §. 12. de administr. & peric. tut.*

SECT. I.

[De usurarum natura ac indole in genere.]

§. I.

Usurarum significatus.

Ut ergo ab ovo incipiam, ad casum antequam progrediar ipsum, generalia quaedam ex latissimo usurarum campo praefari, ex re erit. Usura dicitur ab utendo, quia nihil aliud est, quam mercus pro usu pecuniae debitae solvenda c), seu, ut Justiniani verbis d) utar, incrementum, quod debitae quantitati ob illius usum in eodem genere accedit. Plerumque enim usurae in eodem monetae genere praestantur, in quo fors soluta est, & merito ejusmodi usurarum solutio fieri debet, nisi aliud inter partes contrahentes actum sit e). Nam ad usurarum valorem & qualitatem magis, quam ad nummorum quantitatem respiciendum est. Quam quidem ob causam ill. DE BERGER f) opinionem, usuras in eodem debiti principalis genere

A 2

non

[c) L. 60. D. pro Socio. L. 38. D. §. 6. ad Sctum Trebell.

d) In L. 23. C. de usuris.

e) L. 23. C. de usuris. Conf. Leyf. in medit. sp. 243. med. 3. 4.

f) In Oecon. jur. Lib. 3. tit. 8. §. 9. not. 3.

non deberi, falsam puto. Etsi enim in mutuo rerum incertae aestimationis, incerti pretii ratio addita menta usurarum ejusdem materiae suaferit admitti g), inde tamen non sequitur, mutui certi nummorum generis usuras in nummis vilioribus sine augmento (Agio), creditori invito solvi posse. Potius usuras in eadem qualitate & bonitate, cujus fors est, solvendas esse, satis superque constat. Nam si nummi vilioris nec ejusdem bonitatis sint, debitam legitimarum usurarum quantitatem non exhaerunt. Vocabulum *foenus* usuras quoque significat, & PAPINIANUS h) hisce vocabulis promiscue utitur. In primis vero *foenus* i) immodicam usuram & illegitimam i), 2) sortem una cum usuris, totumque foeneratorum negotium k), 3) usuras ob mutuum ex conventionem debitas significat.

§. II.

Usurarum fundamentum.

Generale debitae usurae fundamentum in utilitate ex re aliena percepta, seu in usu pecuniae creditae consistit. Quid? quod ex eodem fundamento ob moram in solvendo alteri usurae praestandae sunt. Quin immo inde usurarum justitia dependet. Usurae enim aequitate nituntur, &, ob commodum, quod alter ex usu nostrae pecuniae percipit, non ex juris civilis & canonici solum, verum etiam

ex

g) L. 23. C. cit.

h) In. L. 58. §. 2. ad Sctum Trebell. Conf. Huber. Praelect. ad Dig. tit. de usuris §. 1.

i) L. 4. de naut. foen.

k) L. 5. de reb. cor. qui sub tut. L. 11. 15. de Legatis III.

ex juris naturalis principiis debentur l). Nam sicut pro usu rei non fungibilis merces, ita pro usu rei fungibilis usura praestatur. Itaque nisi lex fraternae caritatis ob debitoris paupertatem aliud suaderet, usus pecuniae, alteri gratis concessus, sanae rationi plane contrarius esset. Si vero usurae contraria ex parte concessi usus compensationem superant, sane illicitae ac reprobatae habentur.

§. III.

Legitima usurarum quantitas.

Varia olim apud Romanos usurarum quantitas fuit. Et primo quidem in *LL. XII. Tabb.* unciaria usura constituta est, quae deinde *lege Tribunicia* ad semiunciam redigebatur. Lege vero *Genulia* usurae plane prohibitae sunt m). Sed mox hac lege neglecta invaluerunt centesimae, *SCto* confirmatae n), quae in eo constiterunt, ut debitor pro centum nummis mutuo acceptis, singulis mensibus unum, aut per integrum annum duodecim asses solveret. Quum vero haec centesima, quae maxima in jure nostro est o), nimis esset dura, *Justinianus* p) certum usurarum modum praefinivit, secundum quem centesimae quibusdam tantum casibus, regulariter vero semisses percipi possunt. Alia est juris pontificii constitutio circa

A 3

usuras

l) *Conf. STRUV. Synt. j. c. exerc. 27. nr. 43.*

m) *LIVIVS Lib. 7. c. 42. conf. STRYK. us. mod. Lib. 22. tit. I. §. 10.*

n) *CICER. Lib. 5. ad Attic. Ep. ult.*

o) *Conf. HUBER praelect. ad Dig. Lib. 22. tit. I. nr. 19.*

p) *In L. 26. C. de usuris.*

usuras. Hoc enim jus mutuam foenebre maximo persequitur odio, illudque primo clericis q), deinde etiam laicis, additis gravissimis poenis, interdicat r), adeo, ut non solum usurae modum legitimum excedentes, sed omnes omnino usurae s) secundum illud reprobatae sint. Quum itaque jus canonicum apud nos juri civili praeferratur, & apud Protestantes, in primis in conscientiae causis, inter quas doctrina de usuris referenda est, legali auctoritate gaudeat, facili negotio inde colligi potest, juris civilis de legitima usurarum quantitate dispositiones, in Germanorum foris non receptas, sed ad speciales loci, vel provinciae leges & consuetudines respiciendum esse. Quibus vero deficientibus in determinanda usurarum quantitate praebent fundamentum omni exceptione majus *leges imperii* t), secundum quas usurae quincunces licitae, at ultra quincunces perceptae illicitae censentur.

§. IV.

Legum dispositiones circa usurarum exactionem.

Dubitari profecto non potest, quin aequitatis causa usurae ex caritatis lege constituendae petendaeque sint, qua cum si pugnet, usura

q) C. 6. 8. *caus.* 14. *qu.* 4.

r) *Tot. tit. X. de usuris.*

s) *Cap. 10. X. de usuris.*

t) *Ut Rec. Imp. de anno 1530. 1584. tit. von wucherl. Contracten, de anno 1600. §. 139., in primis vero hac de re cautum est in R. J. noviss. de anno 1654, §. 174., ubi: anreichend die künftige Zins- und Interesse,*

usura, illicita habenda est. Caritatis vero lex pauperi subveniendum esse jubet, nec permittit, ut mutui debitor, qui ob summam numerorum penuriam in solvendis usuris morari cogitur, repentina earum exactione plane destruat, aut per usuras iterum solvendas tota ipsius familia diruatur. Hinc quoad usurarum exactionem leges nostrae curarunt, partim ne ultra alterum tantum, id est, ultra fortis quantitatem usurae exigantur u), partim ne usurarum usurae petantur v).

§. V!

1) *Ratione durationis.*

Quod vero attinet ad primam dispositionem, cum STRYKIO w), aliisque x) inter usuras adhuc debitas & particulariter jamjam solutas distinguendum esse puto. Illarum cursus tunc omnino sistitur, simulac forti aequales sint, harum vero cursus numquam, licet fortis quantitatem excedant, impeditur. Nam legalis illius dispositio- nis ratio, ne homines angusta & inclinata re, quales solent esse, qui usuras

Interesse, sollen von nun an dieselbige, sie seyn aus wiederkäuflichen Zinsen oder vorgestreckten Anlehen herrührrig, und versprochen, jedoch nach Anweisung der Reichs-Constitutionen und weiter nichts als 5 pro cento alle und jede Jahre in verglichenen Terminen unfehlbar gezahlet. &c.

u) L. 10. C. de usuris. Nov. 121. c. 1.

v) L. 26. §. 1. D. de condit. indeb. L. 28. C. de usuris.

w) In Ufu mod. Pand. Lib. 22. tit. 1. §. 17.

x) Conf. FINKELTHAUS obs. 46. nr. 19. RICHTER P. 2. decis. 47. seq. COTHMANN Consilia vol. 2. resp. 52. nr. 260.

ufuras solvere nequeunt, destruantur, in usuris jam solutis cessat, quum usuras prompte solventes hoc levamine non egeant. Unde sequitur, Antonini dispositionem y) valde prudentiorem esse Iustiniana z), quae etiam, quum ista novella, cui inest, glossata (non sit *), in Germaniae foris ne ullam umquam auctoritatem consecuta est; quamvis praxi camerali recentissima creditori usurae nondum solutae, licet summam fortis multoties excedant, adjudicentur a).

§. VI.

2) *Ratione extensionis.*

Quod alteram dispositionem concernit, in illa usurarum usuras petere prohibitum est, adeo, ut & solutae tanquam indebitae repeti queant b). Accessorium enim principale esse nequit, nec datur accessionis accessio, nec fructuum fructus, quippe qui tantum ex re principali nascuntur c). Quamvis etiam, novatione inter debito-

rem

y) *Dist. L. 10. C. de usuris, quae tantum, usuras ultra alterum tantum exigi non posse, docet, adeoque supponit casum, usuras nondum esse solutas, ceu ostendit TAVOR in tr. de altero tanto P. 1. art. 2.*

z) *D. Nov. 121. c. 1. 2. ubi: Nos vero recipiamus, ut particulares etiam solutiones debita dissolvant, si usque ad duplum pertingant.*

*) *Conf. BRUNNEM. ad Leg. 10. C. de usuris.*

a) *Vid. DE CRAMER obs. j. univ. obs. 102.*

b) *L. 26. §. 1. D. de condit. indeb. l. 20. § 29. D. de usuris, l. 28. C. eod. tit.*

c) *Vid. Donell. ad dist. l. 28. C. de uf.*

rem & creditorem facta, transactum fuerit, ut residuae usurae fors fierent, aut fortis quantitati jungerentur, tamen harum usurarum usurae non debentur. Hoc enim si liceret, anatocismi prohibitio plane tolleretur, quum faciliter fieri possit, ut debitor, saevam creditoris usurarum exactionem evitaturus, ad istam novationem seu transactionem moveatur. De utroque casu, sive usurarum usurae tamquam usurae alius novae fortis a principali separatae, sive, usuris forti ipsi, mutuo datae additis, totius summae usurae promittantur, in Justiniani constitutione d) agitur. Nam licet in ea ultimi tantum casus verbaliter mentio facta sit, tamen prior hisce verbis subintelligitur, eamque ob causam, quod jam diu ante Justiniani tempora prohibitus erat, re vera non commemoratur. Alioquin dici non posset, per foeneratores, qui usuras in sortem redigunt, leges anatocismum prohibentes, falsis verbis circumventas fuisse, quod tamen imperator diserte dicit hisce verbis: *Hoc certe erat non rebus sed verbis tantummodo legem ponere.*

§. VII.

Dissentientium circa hanc doctrinam limitationes, earumque refutatio.

Sunt quidem e), qui usurarum usuras tunc licitas esse putent, si inde nullum incommodum ad debitorem redundet. Fin-
gunt

d) *L. 28. C. cit.*

e) *GOTHOFRED. ad l. 28. cit. D. MEVIUS P. 4. Dec. 213. Cothmann. consil. vol. 1. conf. 18. nr. 218. vol. 2. conf. 52. nr. 311. seq. Chr. ab Hagen de usuris cap. 5, nr. 129. seq. Berlich, P. 2. decis. 268, nr. 8.*

gunt enim, Titium Cajo centum thalerorum usuras debere, hunc solutionem urgere, & illum, ob pecuniae inopiam fieri posse negantem, precari, ut Caju illas usuras pro sorte habeat, novaeque hujus sortis usuras in posterum accipiat; alioquin se mutuum ab alio petere & huic usuras solvere coactum esse; nunc mutua voluntate specialem obligationem de illis usuris confici, & pecuniam, quae antea usura erat, fictione brevis manus in sortem converti. Nihil interesse credunt, utrum creditor usuras realiter acceptas statim iterum mutuo det, an ipsas debitor ut mutuum acceptum fictione brevis manus recognoscat; ac, si usuras, a debitore hodie numeratas, die crastino vel eidem vel alii debitori in sortem dare liceat, necessario inde sequi, usuras numerandas in sortem convertere licere, quod in utroque casu eadem ratio intercedat. Licet haec ratio a dissentientibus in medium prolata non levem veri speciem habere videatur; tamen repugnat nostrae legi, in qua universe constitutum est, *nullo modo* cuiquam usuras debitas in sortem redigere, earumque usuras iterum stipulari licitum esse. Si igitur *nullo modo* hoc fieri potest, ille etiam modus, vi cuius peculiaris obligatio intuitu usurarum conficitur, vanus & nullus est habendus.

§. VIII.

Falsa quoque est contradicentium f) ratio: fictam rei traditionem brevi manu factam, tantum efficere, quantum naturalem, quae est de manu in manum datio. Nam si debitor usuras adhuc debitas

f) *Vid. Cothm. Consil. 36. qu. 6.*

tas creditori actu & prompte solvit, ratio legis, anatocismum prohibentis, ne scilicet debitoris conditio plane destruat, cessat, & creditor acceptas hasce usuras ipsi recte quasi sortem iterum mutuo reddit, ut de hac nova sorte novas usuras accipiat. Aliud est in debitore obaerato debarum usurarum solutionem recusante. Si ficta traditio in hoc debitore eundem effectum habere possit, qui in illo verae traditioni recte tribuitur, quidnam tunc esset anatocismi prohibitio aliud, quam inanis constitutio? Contradictentes refugium quaerunt in Ulpiani dispositione g), quae haec est: *Quum ex causa mandati pecuniam mihi debeas, Et convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, Et a me ad te profecta.* Sed quodnam inane refugium! Ulpianus enim de debito ex causa mandati hic loquitur, & breviter ostendit, mutuuum interdum quoque contrahi posse, licet pecunia nec mutuantis facta, nec ab illo reali numeratione tradita fuerit. Diversitas debiti, in causam mutui per conventionem transformati, subest: Quae tamen conventio semper supponit, debitorem illo tempore pecuniam in promptu habere h). Hinc cessat omnis applicatio ad nostrum casum, in quo plerumque debitores, summa inopia laborantes & facultate debitas usuras solvendi destituti, huiusmodi conventiones de novo mutuo ineunt.

§. IX.

Aliud argumentum COTHMANNUS i) ex sententia PAULI, JCti k), defumit, qua illicitae usurae sorti mixtae per se quidem cor-

B 2

g) L. 15. D. de reb. cred.
i) In Consil. qu. 6.

ruunt,
h) Arg. l. 58. §. 1. de iure dot.
k) L. 10. D. de usuris.

ruunt, nec debentur, sortem vero non vitiant. Ex quibus verbis; usuras tantum illicitas forti adnumerari non posse, licitas vero, si-
ve id, quod interest, ipsi misceri omnino fas esse, ratiocinari au-
sus est. Verum Paulus in hac lege non de usurarum usuris, sed de
illis usuris loquitur, quae supra legitimam quantitatem in stipulatio-
nem deductae sunt, hae enim forti admixtae esse suo modo quoque
dici possunt, dum ratione illius exiguntur, & deinde, usuras hu-
jusmodi illicitas contractum ipsum non vitare, sed uti superfluum
pro non adjectis haberi disponit, quod & multis aliis legibus l) con-
firmatur. Quin immo, si olim quidquid hujusmodi licitum fuerit,
tamen per Justiniani constitutionem m), quae omnem anatocismum
prohibet, & in specie, usuras forti admisceri nefas esse, dicit, id
plane sublatum est. Ideoque tota haec Pauli sententia ad nostrum
casum, in quo de debitis usuris novae usurae in separata obligatio-
ne promitti solent, non pertinet.

§. X.

Nihil quoque movet, debitorem in mora usuras solvendi ver-
fari, illisque creditorem carere n). Sibi enim imputet creditor, si
neque singulis annis successive, neque per lapsum plurium annorum
coaccervatas actione mota exegerit, exactasque alii crediderit. Omnis
itaque

l) *Conf. L. 9. §. 29. D. de usuris. L. 26. C. eod. tit. vers. si quis ta-
men.*

m) *L. 28. C. cit.*

n) *HAGEN de usuris c. 5. nr. 161. seq. BERLICH P. II. concl. 38. nr. 35.*

itaque anatocismus tamquam improbum foenus plane prohibitus est, ita, ut ejus exactores infamiae macula notentur o). Tamen puto, a *perill. de CARMER p)* bene esse scriptum: novum obligationis de usuris debitis instrumentum conficere & sic usurarum usuras accipere tunc licitum esse, si judiciali auctoritate illud confectum & confirmatum sit.

SECT. II.

De Tutore ad praestandas usurarum usuras haud obligato.

§. XI.

Usurarum quantitas a tutore praestanda,

Satis, quantum propositi limites permittunt, de usuris in genere, earumque inprimis extensione disserui; jam, ut ad usuras a tutore praestandas progrediar, ordo dicendorum requirit. Tutoris scilicet officium vel circa pupillorum atque minorum personas, vel circa ipsorum bona diligenter administranda, conservanda & augenda

B 3

versa-

o) *Uti disertis verbis sancitum est in leg. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

p) *Im Entwurf eines allgem. Gesetz. für die Preussischen Staaten Th. 2. Abh. 2. ubi §. 615. Zinsen von Zinsen dürfen nicht gefordert werden. §. 616. doch können über zweyjährige, oder noch ältere Zinsen-Rückstände neue Schuldscheine gegeben, und Zinsen davon ver-schrieben werden. §. 617. der Abschluss eines solchen Geschäftes aber-mufs, wenn es gültig seyn soll, gerichtlich vollzogen werden.*

versatur. Tutor enim, quod ad providentiam administrationis attinet, loco domini habetur q). Proinde eandem curam, quam bonus paterfamilias in administrandis rebus suis adhibet, praestare nihilque negligere obligatus est, adeo, ut de neglectis, simulac delata est tutela, teneatur r). Quo spectat etiam obligatio ipsius, pecuniam pupilli in usuras dandi s). Alioquin, nisi commoda occasio, pecuniam aliis credendi, plane defecerit, ad usuras solvendas ipse tenetur t). Ex pari ratione tutor ad usuras praestandas quoque obligatus est, si pupillarem pecuniam, sive usuras a debitoribus exactas, in suos ipsius usus converterit v), & huc pertinet quaestio supra proposita, utrum tutor ad usurarum usuras ex suo debito teneatur, nec ne? Priusquam vero ad hujus quaestiones disquisitionem progredior, primo de legitima usurarum a tutore praestandarum quantitate quaedam praemittenda esse existimo. Quidam nempe tutorem ad quincunces tantum usuras teneri negant, eumque ex pupillari pecunia in proprios usus conversa ad usuras obligari centesimas contendunt w), & quidem ex hoc argumento, quod Ulpianus x) & Antoninus y) usu-

q) *L. 27. D. de administr. & peric. tut.*

r) *Vid. l. 2. C. si tutor vel curator non gesserit, l. 7. C. arbitr. tut.*

s) *L. 24. C. de administr. tut.*

t) *L. 24. C. cit. l. 7. §. 1. & II. l. 15. D. de administr. & peric. tut.*

v) *L. 7. §. II. & 12. D. eod. tit.*

w) BERGER in *Oecon. jur. Lib. I. Tit. 4. §. 10. not. II. Gothofr. ad leg. 7. §. 10. de administr. & peric. tut. MOLINAEUS Tr. de usuris qu. 76. nr. 588. seq.*

x) *In leg. 7. §. 10. D. de adm. & per. tut.* y) *In leg. 1. C. de us. pup.*

usuras a tutore praestandas vocaverint *legitimas*, quae quidem usurarum denominatio centesimas usuras ante Justinianum denotaret z). Verum GIPHANIUS a) ex pluribus probat rationibus, tutorem, qui pupilli pecuniam in suos converterit usus, apud Romanos quoque post Justiniani constitutionem, legitimam usurarum quantitatem in pluribus casibus determinantem b), regulariter non centesimas, sed semisses debuisse usuras, hasque in Ulpiani sententia, opera Triboniani accedente, *legitimas*, alibi vero *maximas & gravissimas* c) nominari usuras. Quicquid vero sit, ex antea dictis (§. 3.) satis constat, jus romanum ratione determinandae usurarum quantitatis nullam habere auctoritatem. Nobis itaque recurrendum est ad leges imperiales imprimisque ad novissimum imperii recessum, in quo de usuris centesimis nihil dictum est, neque semisses, sed quincunces solum usurae adprobantur. Haec dispositio universalis in omnibus negotiis usuras admittentibus condit regulam: Majores quincuncibus usuras non cenferi admittas, donec sive lege generali, sive speciali contraria aliud constitutum fuerit. Absonae enim resultant conclusiones, si dictum recessum de aliis inspectionibus, quam mutuo & emtione venditione annuorum redituum redimibilium,

z) Cujac. ad leg. 4. de naut. foen. & ad leg. 8. C. si. cert. pet. in oper. T. IV. p. 953. T. IX. p. 210. Briffon. sel. ex j. civ. antiquit. L. III. c. 1.

a) In enarrat. & explanat. difficil. & celeb. leg. Cod. ad leg. 26. C. de usuris p. 278. seq.

b) L. 26. C. de usuris.

c) In leg. 54. D. de adm. & per. tut. & leg. 38. D. de negot. gest.

bilium, in eo expressis, accipere renuas. Numquam itaque in foris Germaniae centesima adjudicari solent, nisi in casu nautici foenoris & quandoquidem in causis cambialibus, ubi ad breve forsitan tempus pecunia mutuo datur d). Hinc verum est, tutorem, cessante singulari interesse, non nisi quincunces praestare usuras. Quam quidem sententiam & BRUNNEMANNUS e) tamquam aequiorem adprobat, & praxis sequitur quotidiana f).

§. XII.

Ordo dicendorum de proposita quaestione.

Hisce praemissis expositisque jam ipsam quaestionem propositam explicandi initium faciam, & tutorem ad usuras ex suo debito obligatum non esse, breviter ostendam. Ut vero etiam in hac re ordine procedam haud inverso, primum quidem thesin meam rationibus, quantum ejus a me fieri potest, stabilire, deinceps autem dissentientium argumenta pro viribus infringere conabor.

§. XIII.

Rationes decidendi, fundatae 1) in ipsa rei natura.

Primum itaque opera mea versabitur in exponendis argumentis, quae ad thesin hanc amplectendam, me commovent, quorum
alia

d) *Vid. Stryk. U. mod. Lib. 22. T. I. §. 13.*

e) *In Comment. ad Cod. ad leg. 1. de pup. us. nr. 4.*

f) *Vid. CARPZ. P. II. C. 36. def. 3. et P. I. C. 2. def. II. HAGEN de usuris C. 6. nr. 44. seq. LAUTERB. Coll. pr. L. XXII. tit. 1, §. 12. MENCKEN ad D. L. XXII. tit. 1, §. 8.*

alia natura rei & aequitate, alia vero claris legibus nituntur. Illorum primum hoc est: Ratio, ex qua usurarum usurae prohibentur, ne debitor onere geminato exhauriatur, aequè in tutore ac in aliis debitoribus observanda est. Cur enim tutor, ut pupilli debitor, durioris esse debet conditionis, quam alii ejusdem pupilli debitores? Ex illius officio tutelari certe hoc repeti nequit. Quamvis enim grave ac haud exiguum sit illius officium; tamen solummodo in conservandis augendisque pupilli juribus, quatenus id fieri potest sine damno ipsius tutoris, consistit, nec in eo, ut ipse per pupillum destruat. Per se satis durum multisque incommodis g), quae cuncta gratis ferenda sunt h), subjectum est, quum tutor, pupillaria negotia administrans, rebus suis superesse non possit, indeque semper damnum aliquod sentiat, cujus refusionem petere haud licet; eandem enim diligentiam, eandemque operam, quam in suis rebus adhibet, & hic praestare tenetur i). Natura vero rei ipsa vix patitur, ut eodem tempore suis & alienis negotiis, utputa diversis, invigilet k). Aequitati officioque gratificationis haud responderet, si

tutor

g) Quapropter etiam tutoris officium vocatur onus tutelae, & aliis commodis seu emolumentis tanquam incommodum opponitur in Tit. 17. Instit. de legit. patron. tut.

h) Nam in leg. 38. D. de negot. gest. satis luculenter dicitur: tutores gratuitam, integram & abstinentem omni lucro praestare fidem debere, & in leg. 58. pr. D. de adm. & per. tut. in genere cavetur, ne tutor ex tutela lucrum faciat.

i) Vid. l. 2. § 7. C. arbitr. tut. L. 1. D. de tut. & rat. distrak.

k) Conf. MOLLENBEC. de salar. tut. & curat. c. II. §. 1. LÜDER MENCHE

C

CKE

tutor obaeratus, debitor pupilli factus, per extensionem usurarum plane destrueretur, nec beneficio prohibiti anatocismi, ut alii debitores, qui ex pupilli credito usuras tantum, non usurarum usuras solvere coguntur, uti posset l).

§. XIV.

Anatocismi prohibitio tantum intelligenda est de eodem debitore, hoc enim mutato, naturam suam amittit usura, ac in sortem mutatur. Nam pecunia, ex usuris redacta & accepta, non amplius usura, sed pecunia est, quae a sorte non differt. Ideo, si haec usura deinceps alii mutuo datur, nulla dubitandi ratio est, quin exinde nova existat usura. Quod aequè locum habet, ac si alius, quam creditor, usuras alienas acceperit & seposuerit, vel in usus suos converterit. Per acceptationem enim pecuniae, quae, quum apud debitorem fuerit, usura habenda, ipsa haec pecunia apud ipsum nihil, nisi nummi, ad usuras pariendas, ut reliqui omnes, idonei, fiunt. Sic tutor vel curator, qui usuras, a debitore pupilli vel minoris exactas, in suos usus convertit, nomine istarum alias usuras debet, quod disertis verbis dicitur ab ULPIANO m) & a SCAEVOLA n) Jctis. Valde secus est in tutore, qui ipse pupillo usuras debet, easque a se met ipso non exigit. Quamdiu enim usurae apud eundem debito-

rem

cke *de salar. tut. & curat. th. 5.* BERLICH *P. I. decis. 134. nr. 1.*
SCHILT, *exerc. 37. §. 177.* HESER, *de ration. redd. L. 11. nr. 124.*

l) *Vid. Carpz. P. 2. c. 30. nr. 1.*

m) *In leg. 7. §. 12. D. de adm. & peric. tut.*

n) *In leg. 58. §. 1. D. eod. tit.*

rem manent, usurarum naturam retinent, nec pupillus, quum ratio prohibiti anatocismi aequae in tutore, ac in aliis debitoribus adsit, earum usurarum usuras consequi potest o).

§. XV.

Eo durius hoc esset, quo plures dantur poenae, quarum ope tutores satis ad officia subeunda impelli possunt. Sic de duplo tenentur, si, lapsa tempore, quo usurarum cursus sistitur, nec solverint, nec alii sortem foeneri exposuerint p). Hoc enim casu sibi de novo, quam alii foenerare maluisse videntur q), idque est, quod ab Ulpiano r) dicitur, tutorem nempe usuras, quas a semet ipso exigere debuit, agnoscere cogendum esse. Si itaque tutor non solum ultra duplum, sed ad usurarum etiam usuras praestandas teneri posset, duo specialia circa idem subiectum concurrerent, quod contra regulas juris est s), in primis quum longe odiosius sit, usurarum usuras propagari, quam unam eandemque usuram ultra duplum continuari t). Non obstat, si dicas, tutorem, qui, forte aequata, eandem cum usuris usibus suis retinet, rursus sibi in mutuum sub legitimis usuris adscribere tam sortem, quam usuras, quas a se exi-

C 2

gere

- o) *Sande Lib. III. tit. 14. def. 6. Struv. exercit. XXVII. th. 51.*
 p) *Vid. L. 9. §. 3, & 4. D. de adm. & per. tut. l. 38. D. de negot. gest.*
 q) *Arg. leg. 9. §. 7. D. de adm. & per. tut.*
 r) *In leg. 9. §. 4. D. eod.*
 s) *Conf. l. 1. C. de dotis promiss. l. 12. D. de reb. cred.*
 t) *Conf. MOLIN. qu. 77. nr. 601, 602. GIPHAN, ad leg. 26. C. de usuris.*

gere tenebatur, totam itaque novamque sortem esse, & sic neque usurae usurarum, neque duplum excedi videri. Hoc enim argumentum jure quidem Pandectarum forsan niti posset, non vero jure Codicis, per quod omnis anatocismus prohibitus est.

§. XVI.

2) *In legibus positivis.*

Hinc me converto ad leges, quibus nostra sententia corroboratur. Quas inter primo loco memoranda est Justiniani constitutio u), hisce verbis expressa: *Ut nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, & veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum, si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius summae usuras stipulari: quae differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usurae exigebantur? hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam, usuras praeteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari. Sed etsi hoc fuerit subsequutum: usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquae tantummodo incrementum usurarum accedere.* In universum itaque in hac lege imperator usurarum usuras plane prohibuit, sive sint praeteriti, sive futuri temporis, sive in sortem sint redactae, sive non, sive una ab initio, sive singulis terminis sit repetita nova foeneratoria stipulatione; & sanxit, nullas omnino usuras, nisi dunta-

xat

u) *L. 28. C. de usuris.*

xat pro rata primae & antiquae fortis accedere posse. Sic omnis anatocismus profus sublatus & universe constitutum est, nulli, quidem usuras in fortem quocunque modo redigere licere. Multo magis firmata poenae vindicata est haec prohibitio non solum per imperatorum Diocletiani & Maximiani sanctionem v), ubi: *improbum foenus exercentibus & usuras usurarum illicite exigentibus infamiae macula irroganda est*; sed etiam per Rec. Imp. de anno 1577. tit. 17. §. 1. & 6. Quod quidem ita verum est, ut nec commerciorum utilitas in mercatoribus x), nec favor rei iudicatae y) exceptioni locum relinquat. Quamvis enim in debitore, in certam summam tam pro sorte, quam pro usuris condemnato, & indicatum ultra quatuor menses induciarum, ei a lege gratis & sine aliquibus usuris concessarum, detrectante, totius debitae summae legalis novatio facta, iustumque esset, debitorem contumacem gratuito legis beneficio abutentem, usuris totius summae novatae deinceps mulctari, tamen, ut penitus aboleretur anatocismus, nec ullus sub cuiuscunque iustae causae praetextu locus ipsi relinqueretur, Justinianus, legales has & iuste punitorias usuras pro rata veteris tantum fortis currere sancivit, & ulla quantascunque usuras pro consilato ex veteribus usuris incremento, etiam a debitoribus, non solum privato creditori, sed & magistratui contumacibus, exigi vetuit. Generalis itaque anatocismi prohibitio in omnibus legibus huc spectantibus invenitur, nec una existit lex,

C 3

quae

v) In leg. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.

x) Vid. l. 28. l. 8. D. de publ. in rem act.

y) L. 3. C. de us. rei judic.

quae alicui per modum exceptionis jus, usurarum usuras petendi, concederet. Hinc recte sequitur, nullam quoque dari posse exceptionem ratione pupilli, in primis quum Ulpianus z) expressis verbis dixerit: *tutorem usuras cogendum esse agnoscere, quas a se exigere debuit*. Usurae itaque a tutore tantum agnoscendae & praestandae sunt, nec vero usurarum usurae).

§. XVII.

Rationes dubitandi.

Quae quidem argumenta, jam in medium prolata, tutorem ad usurarum usuras ex suo debito non teneri, potissimum confirmant. Multa tamen huic sententiae obstare videntur, quae ill. JCtus Lüd. MENCKE b) collegit, quaeque breviter enumerabo. Primo scilicet MENCKE *aliquae Dissidentes*, tutorem non aliter se gerere debere erga se ipsum, ac erga debitorem quemcumque extraneum, adfirmant. Unde quoque illud Ulpiani c): *Et generaliter, quod adversus alium praestare debuit pupillo suo, id adversus se quoque praestare debet; fortassis & plus, adversus alios enim experiri sine actione non potuit, adversus se potuit*, valde urgent, indeque colligunt, tutorem, qui
usuras

z) *In leg. 9. §. 4. de administ. & per. tut.*

a) *Conf. HUB. in Prael. lib. XXII. tit. I. nr. 6. 7. 9. MOLIN. in tr. cit. qu. 77. nr. 601. 602. Coccej. de anatoc. sect. I. §. 18. sect. IV. §. 3. FRANZK. Resol. lib. II. ref. 10. nr. 30. seqq. CARPZ. P. II. c. 30. dec. 34.*

b) *In dissert. de tut. ad usurar. usuras ex suo debito obligato, th. 3. & 4.*

c) *Vid. l. 9. §. 3. D. de adm. & per. tut.*

ufuras aliis debitas exigere & in fortem convertere jubetur, eadem obligatione ad ufuras teneri, quas ipse sponte sua inferre debuit. Si quidem iniquum videatur, tutorem in praejudicium pupillorum patrimonio ipsius abuti; quod contingat, si ipse in suos ufus pupillarem pecuniam convertat, nec tamen eandem fidem praestet circa ufuras, quas debet, rationibus suis inferendas, quam in usuris aliunde acceptis exhibeat. Deinceps provocant ad alia Ulpiani verba, d) quae haec sunt: *Si ufuras exactas tutor vel curator usibus suis retinuerint, earum ufuras agnoscere eos oportet, sane enim parvi refert, utrum fortem pupillarem, an ufuras in suos ufus converterint*, & in verbis: *earum ufuras agnoscere eos oportet*, praestationem usurarum ex usuris a tutore faciendam quaerunt. Porro ad constitutionem imperatorum Diocletiani & Maximiani e), per quam minorum debitorum in iudiciis bonae fidei & his, quae eadem imitantur, in mora constituuntur, etiam si non interpellati fuerint. Ex quibus colligitur, tutorem, ex tutelae administratione debitorem, in usuris praestandis morosam, ad indemnitatem, in usurarum usuris praestandis consistentem, pupillo tanto fortius obstringi, quanto certius sit, ipsum ufuras ab aliis acceptas, & multo magis a se ipso exigendas, sub usuris collocare potuisse ac merito debuisse f); in primis, quum iure novo etiam ex mora usurae, tamquam id, quod interest, deberentur

d) *In leg. 7. §. 12. D. de administr. Et per. tut.*

e) *In leg. 3. C. in quib. caus. in int. rest. necess. n. est.*

f) *Vid. l. 7. §. 10. 11. 12. l. 9. §. 3. 4. D. de adm. Et per. tut.*

g) *Conf. R. F. de ao. 1600. §. 139.*

rentur g). Alioquin, si ab usuris usurarum immunes redderentur, pro poena, quam merebantur, praemio, invita aequitate, potiti, lucrum ex tutela nanciscerentur, per usurarum fructus, in proprias utilitates verfos, quod quidem legibus plane repugnaret. Denique singularem pupillorum favorem urgent, &, quamvis anatocismi prohibitionem haud negent, tamen, eam suas limitationes pati, contendunt. Sic praeter pupillum, cui facultatem usurarum usuras petendi in genere concedunt, fideiussores h), usuras ex usuris, quas pro principali debitore solverunt, petentes, & tutores i), ex usuris, a quibus pupillum solutione sua liberarunt, usuras desiderantes, allegant. Equidem lubentissime fateor, haec Dissidentium argumenta haud exiguum veri speciem prae se ferre; tanti tamen ponderis non sunt, ut, quam tueor, derelinquam sententiam.

§. XVIII.

Earundem refutatio.

Quod enim attinet ad primam objectionem, tutorem nempe non aliter se gerere debere erga se ipsum, ac erga extraneum pupilli debitorem; disquirendum est, quidquid ipsum ratione hujus facere oporteat? Si pupilli debitor justo tempore debitum, una cum usuris, sponte non solvit, tutor ad eum interpellandum illudque, adhibitis omnibus idoneis remediis ab eo exigendum obligatus est. Ponamus vero, debitorem ob magnam pecuniae inopiam nullo modo

h) *Vid. l. 12. §. 9. D. mandati vel contra. L. 37. D. de usur.*

i) *L. 3. §. 1. de contr. tut. Nov. 160. c. 1.*

do in praesenti solvere posse, num hoc casu tutori licet, usuras ab illo debitas cum sorte conjungere, & sic usuras totius majoris summae, sive peculiaris mutui, ex usuris orti, accipere? Certissime facultas hoc faciendi tutori ab omnibus, quin etiam a Dissidentibus negatur; immo hocce adfirmantibus expressa, clarisque legum verbis innixa anatocismi prohibitio plane incognita esse deberet. Ad usuras ergo ab aliis debitas exigendas quidem, easque exactas in sortem convertendas, eo fine, ut novam pariant usuram, tenetur; si vero exigere nequit, cessat quoque quum conversio in sortem, tum inde oriens novarum usurarum perceptio. Nunc fiat applicatio. Tutor, ut debitor pupilli consideratus, ad usuras ex suo debito a se ipso mature exigendas, easque exactas, ad novas usuras patiendas, in sortem convertendas, obligatus est; si vero solutio ab ipso fieri haud possit, cessat redactio usurarum in sortem, cessant usurarum usurae. Recte itaque dixerunt Dissidentes: tutorem aequè se gerere debere erga se ipsum, ac erga debitorem quemcunque extraneum; nam ad usurarum usuras nec extraneum cogere potest, nec ipse ad eas praestandas obligatur. Unde sequitur, illam rationem magis pro nostra sententia militare, quam ei adversam esse, & allegatam legem perspicere, eandemque rectè interpretari, nobis tantum superesse. Ad hanc vero bene intelligendam, cum paragrapho tertia allegata, secundam in primis & quartam conjungere necesse est.]Ctus enim Ulpianus istis suis verbis ostendere tantum voluit, tutorem interdum, si ex mutuo obligatus sit pupillo, nec a semet ipso omnia debita exegerit, propter neglectum officium in plus teneri, quam alius de-

D

bitor,

bitor, indeque proposuit, actionem temporalem, qua obstrictus est, secundum paragraphum praecedentem secundam, perpetuam fieri, deinceps, eum quoque vi dictae paragraphi tertiae sine actione experi-ri, & si sub gravioribus usuris patri pupilli pecuniam debuit, quam sint pupillares, supra duplum eas agnoscere & solvere teneri, uti hoc subsequens paragraphus quarta, juncta cum paragrapho septima, disertis verbis innuit. Si enim pecuniam justo tempore solvisset aliisque credisset, usurae continuatae fuissent, nunc, dum id omisit, usurae eousque currere pergunt, donec solutio subsecuta sit k), sive haec ante finitum officium fiat, sive post l). Quidquid vero id sit, ex jamjam dictis constat, illam legem non sufficere ad probandam contrariam sententiam. Ulpianus enim non loquitur de extensione & multiplicatione accessionis seu usurarum, ut in lucro quodam usurario pupillus sit, sed de conservatione tantum juris principalis, ne pupillus in damno versetur.

§. XIX.

Nec obstat argumentum ex alio Ulpiani textu m) desumptum, in quo dicitur: *Si tutor vel curator exactas usuras suis usibus retinuerint, eos earum usuras agnoscere oportere.* Supra enim, anatocismi prohibitionem tantum intelligendam esse de eodem debitore, eoque mutato usuram suam amittere naturam, & in sortem mutari,

k) *Conf. MOLIN, tr. cit. nr. 599. sq.*

l) *L. 7. §. fin. L. 46. §. 3. de adm. & peric. tut. L. fin. C. de us. pupill.*

m) *L. 7. §. 12. D. de adm. & per. t.*

tari, jam exposui. Simulac vero tutor pupilli nomine usuram ab ejus debitore exigit, suisque usibus retinet, haec in sortem mutatur, ipseque tutor pupilli debitor fit. *Sane enim*, ut ipsis Ulpiani verbis utar, *parvi refert, utrum sortem pupillarem, an exactas usuras in usus suos converterit.* Qua ex causa ad quaestionem: An usurae pupillaris pecuniae, quas tutores debuerunt, quum ad curatores transferuntur, in sortem computentur, & universae summae usuras debere curatores incipiant? Jctus Scaevola n) respondit: Omnis pecuniae, quae ad curatores transit, parem causam esse, quia omnis fors efficiatur. Leges ergo personae mutationem supponunt, dum scilicet tutor vel curator non a semet ipso, sed ab alio usuras exigit, quo facto usurarum naturam derelinquunt & in sortem mutantur. Unde illae leges ad praesentem casum, qui de eadem persona, usuras debente, loquitur, male adplicantur, nec tutor, si adhibita diligentia nihil a debitore acceperit, vel ipse usuras pupillo debeat, ad ulla praeterea usuras tenetur, quod Wesenbecius o), cui adlato gemino praejudicio ill. Carpzovius p) adsentit, eleganter ac uberius exposuit.

§. XX.

Ex eadem ratione limitationes, quas Jcti dissentientes q) quoad anatocismi prohibitionem tuiti sunt, plane corruunt. Si enim

D 2

fideius.

n) In leg. 53. §. ult. D. de adm. & peric. tut.

o) In consil. 72. nr. 12.

p) In Frprud. for. P. II. const. 30. def. 31. & 32.

q) Conf. Menckenii Diss. cit. th. 7.

fidejussor pro principali debitore r), & tutor pro pupillo s) usuras
 inveniunt, merito ratione istarum usuras exigunt. Nam usurae a fide-
 jussore vel tutore hoc casu solutae, non amplius sunt usurae, sed
 vera fors, nec est anatocismus seu renovatio usurarum inter eosdem,
 quum personarum mutatio intervenerit t). Remotis hisce limitatio-
 nibus, ipsi dissentientes nostram sententiam, anatocismum scilicet
 absque omni exceptione prohibitum esse, sequuntur. *Non enim,*
ut ipsis Menckenii verbis u) utar, expressas juris nostri de anatocismo
constitutiones impugnant, sed id tantum, quod in praesenti refutavi,
 hanc prohibitionem suas limitationes pati, adferunt.

§. XXI.

Quodsi ad constitutionem imperatorum Diocletiani & Maxi-
 miani v), cujus subsidio dissentientes quoque utuntur, me convertar,
 haec quidem pupilli debitorem etiam non interpellatum in moram
 constituit, tutori vero usurarum praestationem ex usuris, quas ipse
 pupillo debet, minime imponit. Aliud enim est usuras morae, aliud
 usurarum usuras praestare. Illae a moroso debitore tamquam deter-
 minata praestatio ejus, quod interest, petuntur, quoniam creditor,
 qui suae rei utilitate invitus carere cogitur, favore, & debitor, qui
 datam fidem fefellit, odio dignus est; hae obaeratum debitorem ma-
 gis

r) L. 12. §. 9. D. mandati.

s) L. 3. §. 1. D. de contr. tut. Et utili act. Nov. 160. c. 1.

t) Vid. G. A. Struvii Syntagm. j. c. exerc. 27. nr. 51.

u) In Diff. cit. th. 7.

v) L. 3. C. in quib. caus. in integr. rest. etc.

gis onerant, suasque res plane destruunt. Si itaque, ut adplicatio fiat ad tutorem, is in mora versatur, ad id, quod interest, omnino tenetur. Hoc autem in praestandis usurarum usuris minime consistit. Unde sequitur, ex illa lege, propositam de usurarum usuris quaestionem nec illustrari nec recte decidi posse.

§. XXII.

Tandem singularis pupillorum favor iis non praebet facultatem, a tutore usurarum usuras petendi & sic ejusdem res ad incitatem redigendi. Vi hujus favoris merito quidem postulari possunt pupilli, ut ipsorum jura a tutoribus conserventur & augeantur, nefas vero esset, tutorem per eos plane destrui. Supra (§. 13.) enim jam dixi, tutorem ad conservanda augendaque pupilli jura tantum teneri, quatenus id fieri possit sine ipsius detrimento; si vero per exactio- nem usurarum, ob antiquas usuras solvendarum, destrueretur, damnum fere sentit, quod nec reparari, nec per longum tempus sanari potest. Ad haec accedit, judices inclinare, ut ne officium tutoribus damnosum esse patiantur, eosque, etsi in genere culpa aliqua non absit, si tamen in hypothesi par factum tutoris exstet in propriis rebus, excusandos putent w). Haec sunt, quae pro instituti ratio-

D 3

ne

w) Vid. HUBERI Prael. ad D. Lib. 26. tit. 7. nr. 7. apud quem hocce exemplum: Sempronius, Curator Titii, pecuniam ejus tutissimo loco sitam apud entorem, qui sub hypotheca privilegiata nummos libenter retinisset, excegerat, eandemque apud alium amicum, qui
deinde

ne exponere visa sunt. Plura quidem in genere de usuris addi potuisse non diffiteor. Quia vero animus mihi non fuit, totam pertractare usurarum materiam, sed tantum illum, quem in fronte libelli indicavi, casum, illustrare; hisce pro virium mearum imbecillitate satisfactum esse arbitror. Pedem tigitur hic figo, ac commentatiunculae impono finem.

deinde bonis cessit, collocaverat. Titius curatorem Sempronium, debito non soluto, conveniebat, utpote cujus temeritate pecunia optimo loco mota, pessimo reposita erat. A curia tamen absolutus est, eo maxime, quod eodem tempore quingentos florenos, eidem debitori tunc temporis non suspecto credidisset.

Erratum.

P. 16. l. 11, pro: *ad usuras* l. *ad usurarum usuras.*

Theses.

I.

Juramento promissorio nova efficitur obligatio.

II.

In jure naturae tranſtantur officia imperfecta.

III.

Venditor nominis non tantum verum, sed etiam bonum seu exigibile nomen praestare tenetur.

IV.

Inſinuatio donationis, quingentos solidos excedentis, coram giudice incompetente haud suscipienda.

V.

Creditor ad massam concursus ante crediti solutionem pignus conferre debet.

Th 182





Göttingen, Diss., 1788-89



f

56.







DE 1789, 7
~~2019~~
16
TVTORE AD PRAESTANDAS
VSVRARVM VSVRAS HAVD
OBLIGATO
COMMENTATIO

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI JVRISCONSVLTORVM ORDINE
AD
SVM MOS IN VTROQVE JVRE HONORES
DIE XXX. APRILIS MDCCLXXXIX.

RITE CAPESSENDOS
ERV DITORVM DISQV ISSIONI
OFFERT

CONRAD. JVLIVS HIERONIMVS
TVCKERMANN.
HANNOVERANVS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

